

RMK III/23705-8

DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
FIDE & RELIGIONE

*Ecclesię Apostolico-Romanę, & Romano-Pontificiæ: in quâ, Re-
formatos, per mansisse in Fide ac Religione, cum illa; Ponti-
ficios verò ab eadem, secessisse, apodicticè demonstrabitur.*

Q U A M

DEO FAVENTE OPT. MAX.

SUB PRÆSIDIO


D. GISBERTI VOETII, S.S. Th. Doct.

Ejusdemquè Facultatis in Inclytâ Acad. Ultraj. Prof.
Celeb. ac ibidem in Ecclesiâ Pastoris vigilantissimi,

Ad piam συζητησιν proponit,

MICHAEL Szatt. NEMETHI, Ungarus.

Die 10. Febr. horis locoquè solitis.



ULTRAJECTI,

07731

Ex Officinâ MEINARDI à DREUNEN, Academiae
Typographi Ordinarii, Anno clc lxc Lxvi.

07726

Eszék: Hran Mik. n. k.

Nobilissimis Amplissimis & Circumspectis,
DUUM ORDINUM VIRIS:

Reipub. Celeberrimæ TOKAINÆ, ordinis Nobilitaris, & Consularis dignitatis, Civibus, Unicam & Salvificam Fidem Romanam amplexantibus: Orthodoxam ac verè Apostolicam Doctrinam, ab Apostolo laudatam, profitentibus: erga Ecclesiàm Apostolico-Romanam, ejusque Ministros optimè affectis: Virtute eximius; Pietate Zelosis, Consilio magnis: omnibus his, cum Patronis munificentissimis, tum Benevolis amantissimis.

Amplissimæ ac Florentissimæ,

Reipub. Szath. NEMETINÆ Judici Primario, Consulibus, Senatoribus & Notario: omnibus Nobilissimis, Consulti-
 mis: Patriæ meæ dulcissimæ Patribus, Fidei & Religionis Orthodoxæ verè Romana assertoribus Constantissimis: Dominis & tanquam Patribus, obsequio filiali honorandis, colendis.

Item VIRIS Nobilissimis & Consultissimis,

D. DAVID MILLER, } Reipub. Illust. Tokainæ membris. Illi
 D. MATTHIÆ VERES, } S.C., Regiæque Majestatis Præsidii
 D. JOHANNI PATHAI, } Tokaiensis Ducis Fortissimo, strenuis-
 simo. Isti Incl. Comitatus Zemleny Assessori meritis-
 simo. Huic itidem Incl. Comitatus Zemleny Assessori
 Consultissimo, Virtutibus Heroicis, pro sua Juvenili ætate
 conspicuo, in spem Patriæ & Ecclesiæ virenti: Patronis ac Me-
 cænatibus liberalissimis omni honore, amore, honorandis, amandis.

U T E T

Admodum Reverendis, Clarissimis VIRIS,

D. JOHANNI ZEBEGNYEI, } Illi Eccl. Gönczinæ Pastori fi-
 D. JOHANNI GÖNCZI, } delissimo, Ecclesiarumquæ in Ill.
 D. ANDRÆ BACZONI, } Comitatu Aba-uyvar, Seniori
 D. GEORGIO KRISZBAI, } Vigilantissimo. His Eccles. To-
 kainæ. V. D. M. & dispensatoribus, solidissimis, Parentis in-
 star honorandis, de me meisque studiis optimè meritis. Huic
 Eccl. 7. C. apud Debrecenosis Zelo Verbi Dei servidos, collectæ,
 Eloquiorum Dei Dispensatori servidissimo: quoad vixero ho-
 norando. Disp. hanc Theologicam, humiliter offero,

MICHAEL SZ. NEMETHI,

Auth. & Resp.

DISPUTATIO THEOLOGICA

D E

FIDE & RELIGIONE

*Ecclesiæ Apostolico-Romanæ, &
 Romano - Pontificiæ, &c.*

T H E S I S I.



Solemnem fuit olim genti Judæicæ, Templo Domini gloriari, Jer. 7. 4. hypocritice fan-
 nē, cum fuerit gens moribus & doctrinā corruptissima, populus rebellis, gens pec-
 catrix, Deum non animad vertens, dere-
 linquens Jehovam, idololatra, & apostata
 Eia. 1. 3. 4. 5. Singuli quoque cæcis
 hæreticorum, teste Lactantio se potissi-
 mum Christianos & suam Ecclesiām Ca-
 tholicam jactabant; adeo quidem ut Orthodoxos hæreticos appella-
 tione infamarent: licet omnino esset Synagoga Satanæ. Religio est
 etiā hodie Romano-Catholicorū, magnum nomen, cum Diana, Act.
 19. 27. & Virtutem Dei magnam, cum Simone Mago Act. 8. 10. jacta-
 re: qui ut Doctrinam Christi non agnoscunt, ita ejus nomen ejurant:
 volunt siquidem Papistæ à Papa, Romæ sedente, & non tantum à
 CHRISTO, unico Ecclesiæ capite, in cælis regnante, Christiani de-
 nominari: licet Christiano sufficit esse Christi, ab eoque atque ab eo
 nuncupari, non à Cephâ, Paulo, vel Clemente, 1 Cor. 3. 22. Qui-
 quæ inter notas Ecclesiæ, magno molimine, Antiquitatem & Succes-
 sionem, connumerant; & Unam Solam Romano-Catholicam,
 Sanctam, Veram, Ecclesiām, deprædicant, nullo subnixi funda-
 mento antiquitatis, ac Successionis: Cum quod in Oriente sub
 Patriarchis, Antiocheno, Alexandrino, Hierosolimitano, & Con-
 stantinopolitano, Ecclesiæ quas Apostoli fundarunt, Martyres

sanguine innocenti rigarunt, Patres suis documentis excoluerunt, Concilia constitutionibus cohonestarunt, hiscē titulis, præ Romanâ hodiernâ, jure merito posset gloriari: tum quod successio *personalis* nihil facit ad veritatem, ubi deest successio *pietatis* & *doctrinae*; illa enim omnium hæreticorum Synagoga prærogativa potius, quam Vera Ecclesia nota dicenda: unde ab omnibus abstinendum censet Irenæus, l. 4. c. 43. ad ver. hære. qui absunt à principali successione, adhaerendum verò his, qui Apostolorum doctrinam custodiunt. Quia verò Ecclesia Romano-Catholico-Papistica, non successit hoc modo, Ecclesie Apostolico-Romanæ; sed ab ea moribus & doctrina secessit, juxta prædictionem Apost. Rom. 11. 20. 21. quippe, quæ errores fundamentales, tyrannidem in conscientias, & idololatriam detestandam foveret, tantum distat à Vera Sancta, & Catholica Christi Ecclesia, quam cœnum à cœlo, nec magis convenit cum antiqua ab Apost. laudata, quam lux cum tenebris, Christus cum Belial, Templum Dei cum Simulacris. 22 Cor. 6. 14. Quod quidem ostendere operæ pretium non esset, si, Ecclesie Reformatorem, a-Christiana, a-Catholica, Hæretica & Schismatica, falsò non haberetur; Salus inditibium vocaretur, imò panis tartareis dedicaretur; sed quia teste Basil. epist. 65. Ad calumnias tacendum non est, non ut contradicendo nos ulciscamur, sed ne mendacio progressum in offensum permittamus; & fama, fides, oculus, non ferant jocum, æquum est ostendere, cum in thesi: Qualis fuerit vera Eccl. Romana? tum in hypothesi: An Eccl. Romano-Pontificia, sit vera illa Christi Eccl. ab Apostolo laudata? Quo facto, ut opposita clarius elucescant, ita clarissime, Reformatam Ecclesiam per manifeste in Fide & Religione Eccl. antiq. Romanæ; nec esse Schismaticam; contra Ecclesiam Rom. hodiernam papalem, ab eadem secessisse esseque apostaticam, Schismaticam, novam, patebit.

II. Quod ut accuratius fiat, quadam ex Epistola ad Rom. observationis ergò præmittenda, duxi. (1) Epistola ad Romanos, ut sit Eccl. Romana particularis; quoad inscriptionem; tamen est omnium fidelium quoad usum communem, Rom. 1. 5. unde ridiculum est doctrinam universitari electorum toto orbe disperforum communem, urbi includere, tituloque inscriptionis gloriari, neglectâ rei

III

in ibi contentæ praxi, §. 23. quod fieri à Papæ in processu ostenditur. (2) Hæc Epistola, etiam quo ad inscriptionem, non fuit omnium Romanorum, in externa communione Ecclesia visibilis latantium; sed fidelium, vocatorum & sanctificatorum, §. 7. hinc minus rectè pontificii Romanenses, nomine veræ Ecclesie gloriantur, cum à postolorum tempore hæc gloriatio locum non habuerit; maxime quoniam hi, mutarint gloriam Dei, §. 23. (3) Ecclesia Rom.-Apostolica non fuit caput universale & monarchicum doctorum Ecclesiarum: quia multæ tunc Eccl. particulares existere, quæ fidem cum prædicatione Evangelii ab ipso Christo, & Apostolis acceperunt, antequam Apost. Paulus Romæ Evangelizasset; imò etiam à D. Paulo, prius multum evangelium edocti, quam Romani. §. 5. 11. 12. 13. Miserè itaque Romanenses hodierni, præsidium universitatis, antiquitatis & successionis cum Monarchia, hæc in parte quaerunt. (4) Fides Eccl. Rom. antiqua, laudatur & annuntiatur in toto orbe, non quæ Romana formaliter; sed quæ Christiana, verbo Dei fundata: nihil enim facit ad laudem Ecclesie ac fidei, natale solum, & mundana prærogativa: gloria siquidem tribuitur cuiusvis rectè facienti, ut Judæo ita Græco, cum non sit Dominus acceptor personarum, Rom. 2. 10. 11. Etsi formaliter fides Romana laudaretur, non satis commode Apostolus dixisset, se accepisse Apostolorum ad obedientiam fidei, inter omnes gentes, Rom. 1. 5. Adde quod perfectio & laus fidei Romane non præfertur; sed æquiparatur fidei omnium credentium saltem objectivè ut apprehendit Christum; licet modificetur subjectivè, quatenus unusquisque fidem recipiat, non per modum imprimantis vel donantis, sed per modum recipientis suæ: unde major est in uno quam in altero. Unde primo patet, fidem ante Ecclesie Rom. fuisse, & hanc illius normam non esse, eo quod laudetur; cum Apostolus, Ecclesiam Tessalonicensem æquè laudabilem vel laudabiliorem dicat. 1. Tess. 1. 8. secundo, claudicat illa Romanensium Conclusio: Ergo Eccl. Romana hodierna est vera Ecclesia: quæ laudatur, non quæ talis; sed quæ Christiana, in verbo Dei fundata, qualis nova Eccl. Romana nō est, quia Civitas sancta facta est Meretrix, Esa. 1. 21. & populus Dei apostata, §. 5. quod evenit etiam Eccl. Asia minoris, Alexandri-

nae &c. (5) *Fides Romana laudatur non tam quā creditur, quam quā creditur*: h. e. externa purioris doctrinae professio, quae qualis fuerit, penes quos remanserit, cum Bono Deo, demonstrabitur.

III. Demonstrandae Ecclesiae Romanae Antiquae & hodierna ratio evidentiore, nulla datur, quam si *evangelios* inter se conferantur, & ad epistolam olim Eccl. Romanae scriptam, tanquam lydiū lapidem probentur: sic enim illius orthodoxia cum Reformatorum, astringitur, *hujus* autem heterodoxia, cum praeter nomen, *Veritatis, Sanctitatis & Christianitatis*, nihil habeat, retegitur: argumento hoc generali praemisso. *Quae Ecclesia à Romana Vetere, Apostolica, in Doctrina, Sacramentis, & Gubernatione dicitur πικρῶν discrepat, illa vera, Sancta, Romana & Christi Ecclesia, nec est, nec dici potest. Atqui Eccl. Romana hodierna, papistica, à Vetere, apostolica, in Doctrina, Sacramentis & Gubernatione dicitur πικρῶν discrepat. Ergo Eccl. Rom. hod. papistica, vera, Sancta, Romana & Christi Ecclesia, nec est, nec dici potest.* Major suā luce claret: minor, tum in genere, tum in specie, quā ipsam causā arcem obtinet, probanda. *In genere: Quae principiiis fundamentalibus inter se discrepant, illa inter se dicitur πικρῶν discrepant.* Atqui. Ergo. Minor patet: q. *illius*, cum Reformatis principium fundamentale est *Scriptura Sacra*, populo Dei concedita, Rom. 3. 2. juxta analogiam fidei explicanda. cap. 15. 4. at Eccl. Rom. hod. papistica hoc Principium fundamentale, non agnoscit; sed *factis, disertis verbis, & consequentia necessaria, negat.* Primo, *Factis*: q. odio veritatis saepius Biblia S. in locis publicis igni tradidit comburenda, & apud quos sunt reperta, illos pro ultraparā in caelo & terra potestate, decrevit trucidandos, & pro dolor, cum Antiocho, Mach. 1. 50. 60. & Diocletiano, Euseb. 1. 8. hist. Eccl. tyrannis, miserē trucidavit; idque diffidentia suae causae, ne luce splendescente in tenebris, tenebrae abigerentur, & ejus novitas detegeretur. *Cum factum, insectum fieri nequeat*, hoc non est quod neget, Eccl. Rom. hodierna: loquuntur enim Martyrologia & historiae nostri aevi; nec exultationem merentur, quod non editionis authenticae, sed vernaculae, libros S. combusserint, & hereticos illos scrutantes trucidarint: nam etiam versiones vernaculae suam habent authenticam & Materialiter & quoad

res

res enunciatas, ac proinde pro Verbo Dei habendae sunt; nec trucidati, erant excoiandi, trucidandi, comburendi: vel q. *heretici*: cum certē non magis possunt dici tales, quam D. Christus à phariseis, Samaritanus, Doemoniacus, Hypocrita, & seductor; vel q. legebant, quorum non minus intererat pro dono & *judicio discretionis* Sacram S. legere, examinare, quam Beroenſibus, Act. 17. 11. ut *justitiam detectam* haberent.

IV. Secundo. *Disertis verbis*: q. Ecclesiae Rom. hod. Doctores, quos suscipit & veneratur orbis, cum urbe, miris modos inveci sunt in Sacram S. 1. nam Comparant (1) *Aesopi Fabulis*, nisi accedat Ecclesiae auctoritas, testimonium infallibile & judicium autocraticè decisivum, *Stramslaus Hofius*. l. 3. de auct. Sacra S. cont. *Brentium*. (2) *Lesbia ac regula plumbea*, ita ut, sicut haec omni figura & forma, ita illa omni errori accommodari possit, *Pighius* l. 2. de hierat. Ecclesiastica c. 2. 4. (3) *Naso cereo*, ut quae non prebeat certam aliquam sententiam immota veritatis. *Pighius* l. 3. c. 3. & *Jesusita Colon.* in *Censura* sol. 117. cum tamen secundum Verbum Dei veritas detegatur. Rom. 3. 4. maxime cum sit forma sanę doctrinae. c. 6. 17. (4) *Alcorano Muhamedano* in sui probatione, absque consensu Ecclesie, *Bell.* l. 4. de V. D. c. 4. cum non magis posse Alcorano librorum spurcissimo, comparari in divinitatis suae probatione, etiam extra consensum Ecclesiae, quam ignis aquā misericentia Christi & Belial confundi, pater, cuius vel scintillam conscientia, foventis; cum Sacra S. sit lux & potentia Dei ad salutem. Rom. 1. 16. alcoranus via tenebrosa, patens ad condemnationem. 11. Contumeliis afficiunt, nam dicunt (1) *Esse literam mortuam* respectu traditionum, quas vocant *vivum Evangelium*, *Screnius* thes. 5. & *Hofius*, l. 4. de tradit. licet constet V. D. Scriptum esse vividum ad Ecclesiae edificationem sapientissimē à Deo institutum, Rom. 1. 16. & 15. 4. & 16. 25. 26. (2) *Occasionem haesum*, quotquot unquam fuerunt, *Jesuit.* in *Censu*, sol. 2. hinc Waddingus Jesuita Antwerp. in epist. ad Episcopium. non exhorruit, *Sacram S. Pharon Naupacteam* seu infamen scopulum dicere, ad quem impacti, omnes heretici miserē prierunt: quod est dicere Sacram S. esse Librum Hereticorum; cum sit Elogium electis conceditum Rom. 3. 2. con-

112

tra dissidiorum auctores, datum, c. 16. 17. quod etsi vitio hominum excacatorum & veritatem iniuste captivantium aliquando detorqueatur, Rom. 1. 18. non tamen ideo rei essentia & usus, propter abusum tollitur. (3) *Viam complanatam ad arborum*, autore Regourdo Jesuita in collatione Parisien. cum Mestrezatio; quæ Eccl. Rom. antiqua; fuit via plana ad salutem. c. 1. 16. ad fidem generandam ordinata, c. 10. 17. ad doctrinam salutarem, c. 15. 4. (4) *Materiam luis*, in collat. Wormaciensi: uno verbo Ecclesiæ perniciosam: ajunt enim Jesuit. Colon. art. 1. *qui salvam volunt religionem, debent interdicare laicis in universum lectionē Sacra S.* hoc confirmat sententia cujusdam Cardinalis, referente Tirino. part. 1. disp. 2. th. 35. *Melius inquit consultum fuisset Ecclesiæ, si nulla, unquam extitisset scriptura:* horret animus talia retulisse, cum dissensiat Ecclesiæ, Rom. 15. 4. & 16. 17. 25. 26. & 10. 17.

V. Tercio, *Consequentia necessaria*: (1) Negando Sacram S. esse divinitus institutam, sed pertendit fortuitis occasionebus ab Amanuensibus Dei exaratam, Bell. de V. D. l. 4. c. 4. At Eccl. R. antiqua cum Reformatorum Ecclesiæ, defendit ex mādato & inspiratione Spiritus Sancti. quoad res & quoad verba cum rerum circumstantiis consignatam, Rom. 1. 2. & 16. 17. (2) Negando libros S. esse simpliciter Verbum Dei, extra mentem Romano-Catholicæ Eccl. Concil. Trid. sess. 4. Bell. l. 2. c. 12. de V. Dei; in cujus testimonium ultimātē resol vitur fides papistarum, optimi imitatores Nazæariorum, qui consitebantur Moſen legem accepisse, sed dicebant fictos esse hos libros Sacros: teste Epiph. hæc. 18. At Eccl. Rom. ant. cum Reform. pertendit auctoritatem Sacre S. quoad nos dependere, tum ex interna Sp. Sancti. persuasione, Rom. 8. 26. tum ab inſito Scripturæ S. splendore, aliisque sibi innatis divinitatis ſue criteriis, & quibus Sacra S. suam probat divinitatem, non ſolum ratiocinativè & argumento artificiali; sed etiam auctoritative & arg. inartificiali; cum poſſit & Deus in ſua cauſa teſtari: & pars una Sacre S. indubium vocata, per aliam conſeſſam probari; quibus accedit teſtimonium Eccleſiæ motivum & miniſteriale, cujus eſt veritatem cuſtodire, promulgare & propugnare, ſibi concreditam, Rom. 3. 2. quæ tam diu audienda, donec ſeder in cathedra Moſis; i. e. docet

Legem

Legem & doctrinam Moſis; à qua ſi recedat, repudianda. (3) *Decernendo præter lib. Canonicos V. & N. T. Lib. apocryphos*, ut Canonicos recipiendos & pari pietatis affectu venerandos. Conc. Trid. ſeſſ. 4. Quos Eccl. Rom. ant. cum Ref. ut non Canonicos, nec Propheticos, nec in Canonem Judæorum receptos, nec Hebraicè ſcriptos, rejicit, argumento, Rom. 3. 2. & 1. 2. & 16. 26. non enim facit ex non canonico, Canonicum; nec recipit alios libros pro Canonicis, quam quos pro canonicis, acceptab Apoſtoliſ; ſed legit Legem, Prophetas, Pſalmos, Evangelium & Apoſtolos, cum Cano, l. 2. loc. com. c. 7. & Auguſt. de Eccl. c. 6. (4) *Aſſermando Sacram S. mutilam eſſe & imperfectam*, in rebus ad Fidem & Mores pertinentibus ſine traditionibus, Conc. Trid. ſeſſ. 4. Bell. l. 4. de V. D. C. 4. At Eccl. Rom. ant. cum Ref. integram, perfectam, omniaque ad fidei, morumque regulam neceſſaria, ſufficientiſſimè continere, credit: cum ſit potentia Dei ad ſalutem, & forma ſanorum ſermonum. Rom. 1. 16. & 6. 17. & 15. 4. (5) *Propugnando Traditionum neceſſitatem ad ſalutem*, Conc. Trid. ſeſſ. 4. Bell. l. 4. c. 2. ſine quibus Sacra S. non erit divine auctoritatis; imò ipſi præſerunt: unde Pighius, l. 1. c. 4. hier. Eccleſiaſt. & l. 5. c. 3. *Demonſtramus*, inquit, *auctoritatem traditionis magis idoneam quam ſcripturarum*, ad fidem certitudinemque faciendam in re dubia, etiam, ubi id, de quo agitur, ex ſcriptura conſtare poſſet. Hæc erat etiam Samaritanorum inſania, quibus ſi quis diceret de Davide, Eſaia & aliis poſt Moſem, non ſulciiebant; ſed immorabantur traditioni, à propriis iſorum patribus inventæ, teste Epiph. hæref. 9. At Eccl. Rom. ant. cum Ref. ea, quæ erant cum pietate & reverentia ſulcienda in fidei & morum regulam, recepit & ſcripta eſſe ſtatuit. Rom. 1. 2. 3. & 2. 24. & 4. 3. 17. 23. & 8. 3. 6. & 9. 13. 17. 33. & 10. 5. 11. 25. Scit enim, auctores doctrinæ humanæ eſſe mendaciſſimos, Rom. 3. 4. quales ſupponit traditiones non ſcripturarias; imò novit illos eſſe tales, qui lucem cum nocturnis averſantur, veritas ab illis iniuſte detinetur, quique alios docere volentes, ipſi deſiſcunt, & gloriantes de lege, per legiſtranſgreſſionem Deum contumeliis afficiunt. Rom. 2. 18. 19. 20. Et cum ſufficiant perſe Sacre S. & divinitus inſpirata ad omnem Veritatis indagacionem, & vera & pia fides in Chriſtum,

B

82
scdm ex sacris literis cognoscatur, teste Athanasio: Fides, divinis imitatur Scripturis & credat his, quae sunt scripta, Rom. 25. 4.

VI. (6) *Constituendo supremum in terris controversiarum Judicem (an Papam, vel concilium, ipsum est determinare) ejusque judicium auctoritative decisivum propugnant: Bell. l. 3. de V. D. c. 3. 4. At Eccl. Rom. antiq. cum Ref. Judicem supremum constituit voluntatem S. S. Trinitatis in Sacra S. revelatam, quae est prima, eaque perfectissima fidei & morum norma, per Prophetas & Apostolos plenissime & sufficientissime in scripturis consignata, Rom. 15. 4. quippe quae forma sanae doctrinae inscribitur, c. 6. 17. secundum quam debet controversiarum decisio institui: siquidem Deus iudex mundi, juxta hanc normam judicaturus est de occultis hominum, c. 2. 16. hinc est quod Apostolus normam, dilectis verbis asserat, dicens: ex Evangelio meo, i. e. secundum Evangelium à me praedicatum, in quo nihil praeterquam quod scriptum fuit, praedicatum est: c. 1. 2. & 16. 26. Deinde iudex controversiarum ponendus extra aleam erroris, qui in territorio Sacrae S. nullis erroribus obnoxio; jus dicere possit, irrevocabiliter, peremptorie, nullaque admittenda ulteriori appellatione, qualis praeter Deum nullus, qui solus infallibilis, Rom. 3. 4. Quid ergo hic Papae interest cum suo conciliabulo, & infallibili judicio? cum etsi magnam polleat potestate usurpatam, non tamen ita extra humanae conditionis sortem constitutus, quin in ipsum, illud humanum, Omnis homo mendax, c. 3. 4. optime quadret. Amplius in Controv. Theologicis provocandum ad tribunal competentem, quod est Christi, cap. 14. 10. 12. in Sacra S. erectum, c. 1. 16. & 15. 4. recte itaque cum August. cont. Pelag. Ista controversia iudicem querit, iudicet Christus, iudicet cum eo Apostolus, quia & in Apostolo ipse loquitur. (7) Supprimendo efficaciam & fructum Sacrae S. cum quia habent eam lingua peregrinam, ut plurimum, quam multi ex Laicis, imò & Clericis non intelligunt: tum quia nec exponitur, nec applicatur per semetipsam, ut pote inutilis & periculosa in se, sed per traditiones, (In quo egregios lucifugas Scripturarum se ostendunt), ignorantiae plebis fovenda per omnia student: cum Scripturarum lectioni hoc pacto interdicitur, & imagines ac picturae,*

tan-

58
tanquam doctores muti, & duces caeci, plebi obtruduntur: Conc. Trid. sess. 6. de Imag. Bell. l. 2. de V. D. c. 15. Optimi affectus Basilidianorum & Carpocratianorum, qui soli audiebant homines, ceteri omnes canes & sues, nolite ergo inquebant margaritas projicite porcis; aut date Sanctum canibus. Epiph. har. 24. Hinc & Albertus Pius Carpenlis epist. ad Erasum. fol. 16. Non videtur Scripturarum genus, in universum vulgus disseminandum, nec margaritas porcis spargendum, nec Sanctum canibus dandum: scilicet egregiam apud Papistas fidelium laudem! Ignominiosum certe & Tyrannicum hoc: Ignominiosum, cum templa & membra Spiritus Sancti, Rom. 8. 10. 11. canes & sues audiunt: Tyrannicum, cum quia testamentum heredibus eripitur, cujus tabulas heredes libenter habent praemanibus & legunt, sic fideles Sacram S. inquit Chrysost. in Psal. 5. tum quia arma, contra mundum, Satanam & Carnem, efficacissima, laicis eripiuntur, inque hostium tam potentissimorum faucibus, inermes praecipitantur: Arma enim & Commearus ejus belli, quod est infernus & diabolus sunt Scripturarum auditio, teste Chrysost. At Eccl. Rom. antiq. cum Ref. gestit ad lucem Sacrae S. omnes & singulos ad eam legendam, nocturnam diurnamque manu volvendam hortando: ut pote quae ad omnium fidelium in Domo Dei, doctrinam, institutionem & consolationem, data sit, Rom. 15. 4.

VII. (8) *Arguendo Sacram S. involutam obscuritatis, ut ne doctissimi quidem certam cognitionem inde colligere possint, Bell. l. 3. de V. D. c. 2. & sic deerrant divinitus inspiratis Scripturis, eam certitudinem, quae omne Verbum Dei fulciendum, & quae nullam admittit dubitationem diffidentiae. At Eccl. Rom. antiq. cum Ref. defendit eam, in omnibus suis partibus absolute & subiective etiam esse perspicuam, claram, etsi obiective & secundum quid, quaedam videantur notis difficilia, quae tamen accedente Sp. S. gratia, fiunt scrutanti, facilia: cum quia data est ut discamus, Rom. 15. 4. unde dicitur eam propè fideles esse, imò in corde eorum. c. 10. 18. in fidei augmentum. c. 10. 17. quaeque manifestata est etiam gentibus. c. 16. 26. at certe obscurum esse nequit, quod etiam gentibus, lucet. (9) Petendo interpretationem Sacrae S. ab Ecclesia seu Pontifice, Bell. l. 3. de V. D. c. 3. 4. unde Armarum*

B-2

Sachae

Sacra S. audit Papa; Auguff. triumph. q. 67. a. 3: At Eccl. Rom. antiqua, Verbi interpretationem petendam asserit à Spiritu S. illud inspirante, Rom. 15. 4. ab ipsa Sacra S. in Ecclesia Dei pro unica Norma habenda, c. 10. 14. & ab analogia fidei, (c. 11. 6.) Ita ostensum est Eccl. Rom. hod. papalem non habere *reipsa* Verbum Dei & ab *antig. Rom.* toto cœlo discrepare; quare non est *impudentissimum mendacium*, ut vult Bell. l. 1. c. 1. de V. Dei; sed apertissima veritas, quod dixerit Lutherus de Consiliis, Pontificem Romanum *Sacram S. in ceno & pulvere sepelisse*: & Calvinus, in initio lib. cont. Anabapt. *papistas missas facere Scripturam S. ut auctoritati hominum acquiescant*. Quod erat in genere, ad probationem minoris, demonstrandum.

VIII. Minor, jam in *specie*, probanda venit: quæ ut trimembris est, ita ordine procedemus, incipiendo à *Doctrina*. Discrepant hæc due Ecclesia, Primo, DOCTRINA DE DEO, cuius Eccl. pap. everrit (1) *Simplicitatem* & *infinitatem*, ipsi statuas, imagines, visibiles & corporeas erigendo, contra, Rom. 1. 23. &c. (2) *Immutabilitatem* Dei; prædestinationis decretum ex lib. hominis arbitrio suspendendo, cont. Rom. 9. 15. 16. (3) *Immensitatem & ubi quatem*, eam creaturis etiam tribuendo: Beca. de Deo c. 6. cont. Rom. 11. 33. (4) *Eternitatem*, creaturas ab æterno fuisse, cum Connibricentibus Pererio, Zwarezio, & aliis ejusdem farinae doctoribus, non repugnare, docendo, cum Eccl. Rom. ant. cum Ref. ex mundo condito, Dei potentiam & divinitatem manifestari, doceat, Rom. 1. 20. Secundo Doctrinâ de PRÆDESTINATIONE. Nam Eccl. Rom. ant. cum Ref. credit Deum ab æterno, ad gratiam & gloriam prædestinasse quosdam ex merâ benevolentia & misericordia, nullâ habitâ operum vel fidei prævisione, quæ ab electione pendunt: unde electio earum prævisioni in adificari nequit; reliquos verò in massa miserie reliquisse, non etiam habitâ ratione peccatorum, *sive pæcatorum & comparatè* spectetur: ita enim alia causa præter *& doxiar* Dei adferri non potest, Rom. 9. 11. 16. 18. &c. At Eccl. Rom. hod. *papistica*, statuit neminem eligi ad gloriam nisi ex prævisione fidei, meritorum & operum. Staplet. in antidoto, c. 9, ad Rom. Corn. à Lapide in commentar. ad Rom. 9. Tertiò Doctrinâ de CREATIONE

Nam

Nam (1) illa credit justitiam & immortalitatem primi hominid, fuisse naturalem: non quod justitia originalis pertinuerit ad essentialem constitutionem naturæ humanæ, quoad partes ejus essentielles, quæ sunt anima & corpus; sed quod fuerit homini *commutabili* quoad accidentalem ejus perfectionem: cum quia accepit eam cum ipsa natura in creatione, creatus si quidem ad imaginem Dei, cujus pars fuit justitia originalis: tùm quia ut corruptus propagavit naturam injustam ac mortalem, Rom. 5. 12. ita integer propagasset naturam justam ac immortalem, quia justitia origi fuit hereditaria, per generationem ad posteros propaganda, docet & Thom. pag. 1. quæst. 1. c. 8. a. 1. Hac statuit *supernaturalem* & superadditam tanquam autem quoddam frenum, quo pars inferior, parti superiori, & pars superior, Deo subiecta contineretur, Bell. de grat. c. 5. 6. &c. non alio fine, quam ut Pelagianismum suum in crustent, ac mortalitatem & concupiscentiam in ordinatam, faciant naturalem, cum tamen & concupiscentia sit contra legem Rom. 7. 7. & mors poena peccati. c. 5. 17. & 6. 23.

IX. Quarto Doctrinâ de PROVIDENTIA. Nam illa Providentiæ, Conservationis & Gubernationis eandem esse causam, quæ Creationis statuit, puta S. S. Trinitatem, ex quo, in quo & per quem sunt omnia Rom. 11. 36. non essentialiter, quæ ex essentia Dei, creaturis in communicabili, perficiantur; sed partim efficienter & perfectivè in genere entis & moris, ratione Boni, & mali tristic; partim *permisive ac directive* in genere Entis, non moris, ratione mali culpæ: ad quod licet *Materialiter* & quoad Substantiam actûs Deus concurrat; *moralis* tamen Dei concursus, i. e. non impeditio, quoad formale actûs peccaminosi, non est effectivus, sed *permisivus* ex abundantia tolerantie ac tarditatis ad iram. Rom. 2. 4. Non interim propterea Eccl. Rom. ant. cum Ref. Deum statuit auctorem peccati, ut calumniatur Eccl. Rom. papalis: cum quia credit Deum nullomodo facere mala culpæ, Rom. 3. 8. tùm quia docet non esse injustitiam apud Deum; qui est iudex mundi, cap. 3. 6. Non igitur bona fide hoc illi impingitur, non equidem video quomodo Deo faciat injuriam, cum statuat nihil omnino, esse & fore in Mundo, quod providentiæ divinæ non subijciatur, modo graduquæ sibi congruo: Multa enim sunt contra voluntatem Dei, quæ non fiunt

præter ejus voluntatem, inquit Lombard. ex August. l. i. dist. 47. At verò *Hæc Eccl. papalis, invida, injuriosa est in Deum, cum negat, Deum omnia Velle* (modo jam dicto) & *perficere, magna, parva, secundum qualitates & actiones ac eventus dirigere*: ita ut si vellemus scapham dicere scapham, jure retorquere possemus Becani, opusc. Theolog. tom. 1. illam conclusionem, *Ergo utrorumque i. e. Calvinistarum & Catholicorum, non est idem Deus*. (1) Quia Deus Calvinistarum (ut vocant) est *Potentissimus*, ut creare, ita conservare, gubernare ac defendere, omnes suas creaturas; at Romano-Catholicorum est *Impotens*: quâ in *Spiritualibus*, qui in homine, sine homine opus bonum, ut est gratia regenerans &c. perficere non potest, Conc. Trid. sess. 6. Bell. de grat. c. 9. 10. 15. quâ in *Corporalibus*, qui in gubernatione Mundi cum Sanctis divinum imperium habet. Hoc docent, *divi tutelares*, singulis Regnis, Provinciis, Civitatibus, Artificibus, Negotiatoribus, rebus animatis & in animatis præfixi; neget licet Eccl. Rom. pap. indicabit tamen eorum religiosa invocatio, loquuntur festa iis dicata & comprobant Breviarium Romanum. (2) *Illorum Deus est unus, colendus solus & venerandus*, Rom. 10. *Horum* multiplex, qui, inter *Vivos*, Papam DOMINUM NOSTRUM, Glossa in Extra. Johan. tit. 22. cap. 14. inter *Mortuos*, Sanctos demortuos reliquiasque eorum adorant, eisquæ genua flectunt &c. de quo infra.

X. *Quinto Doctrinâ LEGIS & EUANGELII*, Hic discrepantiam vide maximam, in genere, Illa enim doctrinam Legis & Evangelii, ita integrè, purè docuit, ut etiam inter se accurate distinxerit: tum quia effectus distant: lex eni data est ut omne os obstruatur, & totus mûdus obnoxius fiat peccato; Evageliû autè datû est, ut peccatores propositus promissionibus invitentur ad pœnitentiam & fiduciâ in Christo, Rom. 3. 19. 20. &c. tum *Sanctione*, illa siquidè, *Hoc fac, & Vives*; Hoc autem qui credit *salvabitur*, urget: Lex quippe justitiam operum exigit; Evangelium justitiam fidei offert, Rom. 3. 19. 20. & 5. 8. 9. At Eccl. Rom. hodierna, hæc duo turpiter confundit, credens Evangelium non minus esse doctrinam operum, quam ipsam Legem, ita ut Lex ipsa sit Evangelium inchoatum, Evangelium verò Lex perfecta & consummata, Bell. de Inst. l. 4. c. 2. 3.

In specie, doctrinâ Legis. Nam 1. *Illâ Legem Dei habuit proinde & speculo peccatorum*, unde (1) docuit concupiscentiam, omnesque ejus mortis etiam primo primos esse veri nominis peccata; quæ in justificatis etiam remanent, peccati nomen retinent, & ipsos peccare faciunt, eoquæ ab ipsis edomanda veniunt Rom. 7. 7. 17. 23. *Hæc* contra Apolliti sententiâ, non esse peccatû simpliciter, decrevit, in Conc. Trid. sess. 5. de pecc. Orig. (2) *Illâ* docuit facultates animæ rationalis, i. e. intellectum & voluntatem, amissâ justitiâ originali, rectitudine, & claritate, ita esse vitiatas peccato originali, ut sua natura tactum ferantur ad malum, Rom. 3. 10. 11. & 7. 5. 22. & 8. 7. *Hæc*, omnium facultatum animæ corruptione, ut liberû arb. statumare queat, per negat. Conc. Trid. sess. 6. c. 4. (3) *Illâ* docuit nullum peccatum ex se & ipsa natura, nisi gratia Dei & eventu, esse veniale: cum omnia peccata sua natura, morte temporali & æternâ, ex judicio Dei, digna sint, Rom. 5. 12. 17. quippe mors est pœna denunciata, & debita cuilibet peccato per sanctionem legis. c. 6. 2. 3. *Hæc* docet multa peccata ex se & sua natura esse venialia, & veniam potius quam reatum merentia, quorum expiatio in purgatorio erit per agenda. Conc. Trid. sess. 9. Bell. l. 1. 2. de amf. grat. & de purg. (4) *Illâ* docuit, omnes homines per naturalem generationem, ex Adamo *Via & modo ordinario*, descendentes, peccato originali infectos esse, Rom. 5. 18. *Hæc* B. Virginis immunitatem ab originali peccato propagat: quæ controversia etsi sub fûco dubitanter decreta in Conc. Trident. sess. 5. cum ab omnibus Romano-Catholicis non fuit, pro re certâ & exploratâ habita, teste Bell. l. 4. de amf. grat. tamen ab Alexandro VII. modo Romæ sedente, jam jacet determinata. 11. *Ecclesia Rom. ant. cum Ref.* Legem Dei habet *pro norma & regula faciendorum & fugiendorum*, Rom. 12. 2. 3. & 13. 8. 9. unde damnavit. (1) *Idolatriam* & quæcumq; speciem cultûs superstitiosî habuit non habuit, ne hoc pacto mutaret gloriam Dei, c. 1. 2. 3. povit enim quid colat & ardoret, cui offerat cultum suum rationalem, nempe S. S. Trinitati, c. 12. 1. At Eccl. Rom. papalis fovet Idolatriam, in cultu & adoratione Sanctorum & reliquiarum, imaginum &c. Conc. Trid. sess. 25. *Reliquias* quod attinet, adorat, non solum

88
solum Crucem Christi, sed & omnia quæ sunt Christi, *Thomas* par. 3. quæst. 24. imò omnia quæ ad Sanctos pertinent etiam vilissima, tanquam *heretici* corradunt & colunt, *Tom.* q. 25. disp. 12. c. 2. Reliquias inquit Sanctorum, siue fuerint partes ipsorum ut ossa, carnes, & crines; siue fuerint alia quæ ad ipsos pertinent, adorandas & in hoc honore sacro habendas esse; quinimò reliquias, quas nescit fuit ne latronum, an martyrum, quibus fraudè posse sub esse, saniores pontificii concedunt, colit. Imagines vero quoddam adorant adoratione latræ, *Conc. Trid.* sess. 25. quæ ex consecratione, adipiscuntur quandam spiritualem virtutem, per quam aptæ redduntur divino cultui, *Thom.* par. 3. q. 83. a. 3. Imitatur hac in parte Jacobitarum hereticorum exemplum, qui imagines Patris & Sp. Sancti effingere, teste *Niceph. hist. Eccl.* 1. 18. c. 53. & *Marcellinæ*, Carpocratis sectæ, quæ colebat imagines Jesu, Pauli, *Homeri*, & *Pythagoræ*, adorando incensumque parando, teste *Augusti* de her. c. 7. (2) Invocationem Sanctorum, licet suo modo honorandos, memoriam ipsorum conservando, virtutes eorum imitando, non negaverit *Rom.* 4. 12. at in vocandos & religiosè colendos simpliciter pernegat: novit enim invocare in quem credendum *Rom.* 10. 14. tum quia novit iudicium Dei fore contra illos, qui talia fecerint, *Rom.* 1. 23. - 32. cum non sit quarendus alius Mediator, præter Christum, cap. 8. 26. At *Eccl. Rom. Pap.* Invocationem & cultum creaturarum palam exercet, Sanctorum invocationem & reliquiarum venerationem jubet; cum *Collyridianis* hæreticis, B. Virginem Cæli Reginam adorant; imò cruces & Satuas &c. invocant. Hinc absurdissimè, petit à ferro lanceæ, quæ Christus fuit transfixus: *Felix* hasta nos amore per te fixi faucibus; quam in hymno ave ferrum triumphale salutari; & Petit à facie picta in sudario: Sancta facies impressa panno, nos ab omni macula purga vitiorum &c. Impetrat à Cruce, à Deo maledicta, augmentum iustitiæ & veniam peccatorum, ad vespas palmarum: O Crux! ave spes unica, Hoc passionis tempore, Auge piis iustitiam, Reisque dona veniam: de quæ, *Thom.* p. 3. q. 25. a. 4. ita infert ad orandam esse latræ: Illi exhibemus latræ cultum, in quo ponimus spem salutis; sed in cruce ponimus spem salutis, Ergo crux Christi est adoranda cultu latræ. Quod non tantum de Cruce in qua Christus

CRO-

58
crucifixus fuit, sed de imaginibus ejus, cuiuscunque sit materia, intelligit, *ibid.* Ritu plane Israelitarum serpentem aneum adorantium, qui ab Ezechia piâ indignatione fervente, contractus, ob abusum illius. Plura addere, nec reverentia Dei, nec Chærtæ augustia, permittit. Videtis, Breviarium Romanum, Hymnos Omnium Sanctorum, de quorum invocatione *Conc. Trid.* decrevit, Bonum & utile esse simpliciter invocare. (3) Vota monastica, continentia, paupertatis, & regularis obedientia: eum quia statuit non esse Mæchandum *Rom.* 13. 9. in quo sæpe impingitur, prætextu continentia fucata, & caro curatur ad explendas cupiditates carnales. §. 14. tum quia novit nullum fidelem sibi ipsi vivere & nullum sibi more, sed Deo & proximo; quæ destituitur voluntaria paupertas: tum quia scivit obediendum esse supremæ potestati à Deo ordinatæ, non usurpatæ, cap. 13. 1. Sed *Eccl. Rom. pap.* hæc vota gratia & salutis meritoria decrevit *Concil.* *Trid.* sess. 8. Tales certè votivos, cum *Nudipedalibus*, fugiendos censuit Antiquitas, annuente *Hieron.* ad *Eustach.* tom. 1. Vivis fuge inquit, quos videris catenatos, quibus femine contra Apostolum crimes, hincorum barba, nigrum pallium, & Nudi patientia frigoris pedes.

XI. Sexto Doctrinæ EUANGELII, vide miram discrepantiam! Nam *Eccl. Rom. ant.* de Christo statuit (1) Unicum esse Sacerdotem æternum successoris expertem, qui factus Patri & legi obediens, usque ad mortem, seipsum in sacrificio lætæ obtulit, legis postulatorem implevit, poenas peccatis nostris debitas in se transumpsit, propitiationem sufficienter præstitit, Deum nobis & nos Deo reconciliavit, sique vitam æternam acquisivit, *Rom.* 3. 25. & 5. 6. 7. 8. &c. & 8. 3. 4. At *Eccl. Rom. pap.* Christi Sacerdotium & Satisfactionem everrit, illam quidem per suos sacerdotes, *Conc. Trid.* sess. 22. cap. 1. hanc per Satisfactiones proprias in hac vita vel in purgatorio exsolvendis *Conc. Trident.* sess. 6. can. 30. & sess. 14. c. 9. & sess. 9. de purg. Huc pertinet etiam *Thesaurum Ecclesiæ* ex supererogationibus Christi & omnium Sanctorum; cuius dispensator est Papa in suis Indulgentiis, *Conc. Trid.* sess. 4. can. 10. de Indulg. cum *Simone Mago*, qui post corruptionem & meritum carnis ridebat *ψυχαὶ καὶ σώματα* animarum purificationem, *Epiph. har.* 110.

C

(2) Illa

(2) *illa* statuit unicum & solum Christum esse Mediatorem tam *Satisfactionis* quam *intercessionis* Rom. 3. 25. & 5. 8. 9. At *Hac* non contenta Mediatione Jesu Christi, multos mediatoresecundarios, ut sunt Angeli, Sancti demortui, imò horum reliquiae, constituit, quibus suas precestanquam *Numinibus* secundariis, offert, iisque servit, Conc. Trid. de Invoc. Sanct. dixerit licet Aug. non sit nobis religio cultus hominum mortuorum; non est enim quo eas nisi ad me (Christum) nec est quo eas nisi per me. Septimò, in doctrinà Evangelii, Christum excipiunt ejus BENEFICIA, ad quem nos non tam *objectivè*, quam *subjectivè*, habemus, quorum prius est VOCATIO, ubi etiam vide discrepantiam. Nam Eccl. Rom. ant. (1) asserit Deum pro libera sua voluntate & beneplacito gratiam indebitam, ministerio verbi, omnibus quibus vult, citra ullum respectum dignitatis, offerendo, vocat homines peccatores ad participationem gratiae suae, in Christo, Rom. 2. 11. 12. & 9. 16. & 11. 16. At Eccl. Rom. pap. pertendit Deum commoveri ad nostri vocationem, nostris operibus, Conc. Trid. sess. 6. Bell. l. 1. de just. c. 3. - 12. (2) *illa*, asserit hominem in prima sui conversione nullomodo ex se cooperari gratiae efficaci, cum habet se merè passivè, nec posse vocationem internam rejicere, Rom. 8. 9. 10. & 9. 16. *Hac* pertendit hominem ex se cooperari gratiæ in prima sui conversione, & posse dissentire si voluerit, cum viæ ipsius male sint in manibus ipsius, Conc. Trid. sess. 6. Bell. l. 6. de grat. & lib. arb. c. 9. - 15. assecuta Pelagii, qui docebat gratiam quâ liberamur, secundum merita nostra dari, August. har. 88. Octavo, post vocationem sequitur aliud Christi beneficium, nempe FIDES de qua Eccl. Rom. antiq. cum Ref. sentit. (1) Fidem salvificam esse certam noticiam ac fiducialem assensum & persuasionem omnium promissionum de Christo, cum quia fides dicitur *memoria* Rom. 5. tum *adnegotio*, Rom. 4. confer. Rom. 4. 15. 16. 18. 20. & 8. 28. 31. *Hac* docet fidem non esse veram fiduciam apprehendentem Christum cum suis meritis; sed nudam & generalem assensum absquè vera notitia, unde asserit per ignorantiam eam commodè definendam, Bell. l. 1. de Inst. c. 4. - 7. & Conc. Trid. sess. 6. (2) *illa* credit veram & salutarem fidem et si non semper actus suos eliciat, nunquam

quam tamen poenitus & finalitèr deficere; cum quia dona Dei sunt *quæ per meritum*, Rom. 9. 11. tum quia fideles virtutis Dei præsidio custodiuntur, ut tandem glorificentur. c. 8. 2. 9. 30. & c. *Hac* poenitus deficere posse asserit, anathematizando dissentientes, Conc. Trid. sess. 6. & Bell. l. 3. de Inst. c. 14.

XII. Nonò, Doctrinà JUSTIFICATIONIS, hic etiam toto còlo vide discrepantiæ Eccl. Rom. ant. & hodiernæ. 1. *illa* hominem justificari sola fide absque operibus legis asserit Rom. 3. 28. cum gloriatio exclusa est per legem fidei, 7. 27. nec alioquin gratia esset gratia, c. 11. 6. & haberet quis quo gloriaretur, c. 4. 2. & sic promissio fidei irrita redderetur, 7. 4. *Hac* partim fide partim operibus fluctuantèr & dubitantèr, asserit. Conc. Trid. sess. 6. Bell. l. 1. c. 13. 14. (2) *illi* fides justificat organicè per modum instrumenti apprehendentis meritum & justitiam Christi, Rom. 4. 3. 4. & 5. 17. *Hujus* propriè, & absolute tanquam qualitas ad justitiam pertinens, unde causam formalem justificationis definiunt esse justitiam infusam nobis reipsa inhaerentem, causam vero instrumentalem statuunt baptismum, Conc. Trid. sess. 6. c. 4. & 7. (3) *illi* justificatio est sententia Dei gratiosa, quâ propter Christum fide apprehensum, fidelis absolvitur à peccato & justus reputatur: Moralitèr & actu sorsènt, consistente in sententiæ pronuntiatione, Rom. 3. 22. 24. ubi justificatio opponitur accusationi: quare ut accusare sententia forensi est reatum intendere, ita justificare est à reatu absolvere & justum pronuntiare; *Hujus* nempe Eccl. Rom. pap. est physica ac realis justitiæ infusio per modum habitus nobis inhaerentis, Conc. Trid. sess. 6. sed male: ut enim peccata nostra, facta sunt Christi peccata, non habitualitèr & inhaerenter, in cujus ore dolus non est inventus; sed tantum imputativè, ita justitia Christi sit nostra imputativè, & per consequens justitia quâ justificamur nobis non est inhaerens, sed tantum imputata, Rom. 3. 24. - 26. Decimò Doctrinà SANCTIFICATIONIS, de qua Eccl. Rom. ant. cum Ref. asserit eam imperfectam esse in hac vita & obedientiam ejus duntaxat inchoatam, Rom. 6. & 7. 8. quam fideles quoad perfectionem graduum hic quidem in via optant, sed demum in Patria perficiendam cum suspirio exoptant. Rom. 7. 18. - 25. Sanctificatio

quippe est perfectio patrie non vir, nec perficitur in hac vita; sed quod superest in infidelibus nativæ corruptionis, ultimæ extinguitur in morte, Rom. 7. 24. tunc enim incipit amittere suum esse *naturale*, ut acquirat *spirituale* quoad perfectionem graduum. At *Eccl. Rom. pap.* statuit perfectam utroque modo Sanctificationem, cum de impletione legis & operibus supererogationis pharisaice gloriatur. *Conc. Trid. sess. 6. Bell. l. 4. de Just. c. 15. - 17.* cum *Catholis* gloriantibus de suis meritis, qui mundiores se cæteris prædicabant. (2) *illa* docuit bonorum Operum Necessitatem ad Salutem adeundam, non meritorie efficiendam: ratione præcepti, nō meriti: & ratione præsentis & transitionis, non efficientis & causalitatis: cum quia omnis efficientia ipsius admittit, Rom. 3. 20. tum quia opera omnia simpliciter etiam Abrahami & Davidis excluduntur. *¶ 2.* tum quia salus est donum gratuitum, c. 6. 23. non hæreditas ex operibus c. 4. 16. *Hæc* urget operum B. necessitatem, ex necessitate meriti & quidem ex condigno & causæ efficientis. *Conc. Trid. sess. 6. cap. 10. c. 24. & cap. 13. 4. &c.* (3) *illa* statuit etiam iustificatis & sanctificatis Legem esse observatu impossibile: cum ob virium suarum impotentiam, Rom. 8. 3. tum quia obedientia iustificatorum non est perfecta, teste etiam *Bell. l. 4. de Inst. c. 10.* tum quia est iugum intolerabile, Rom. 7. 19. 20. *Hæc* pertendit, præcepta Dei homini iustificato esse observatu possibilia, & sub anathemate decrevit, *Conc. Trid. sess. 6. cap. 16. Undecimæ Doctrinæ PERSEVERANTIÆ* discrepant. Nam (1) *Eccl. Rom. ant. cum Reform.* docet Fideles ad finem usque perseverare in fide ac sanctitate semel donatâ, nullumque verè fidelem, finaliter excidere gratiâ Dei: siquidem Deus immutabili electionis decreto eos fundavit ac firmavit, Rom. 5. 5. 7. 28. 29. Nec abjicit populum suum, quem præcognovit, c. 11. 1. 2. Neque ulla res eos separât à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu D. nostro. c. 8. 34. 39. At *Eccl. Rom. papam.* anathematis sententiam intorsit perseverantiam urgentibus, *Conc. Trid. sess. 6. c. 15. 16.* (2) *illa* certitudinem fidei ac per ipsam remissionis peccatorum firmiter credit, & *Abba* pater ex testimonio Sp. S. fiducialiter clamat, Rom. 8. 15. - 17. quæ certitudinem, nec preces evertere, sed potius firmare. *¶ 26.* nec timo-

rem -

rem sollicitudinis & vigilantia, sed dissidentia excutere. c. 8. 38. nec B. operibus adversari, quin potius per illa ex consequenti declarari & ostendi, piè pertendit. *Hæc* fiduciam perseverantia ac certitudinem salutis, inanem & superbam præsumptionem decrevit, *Conc. Trid. sess. 6. c. 13. - 16.*

XIII. Hactenus de *beneficiis Christi*, quæ quia unice veræ Ecclesiæ destinantur, post illa explicata, de hæc quoque tanquã illorum Subjecto, dicendum erit. De ECCLESIA igitur, *Eccl. Rom. ant. cum Ref.* credit *Ecclesiam Sanctam*, *Catholicam*: cujus fundamentum & caput *unicum*, est Christus, tum ratione *dignitatis*, quia primogenitus inter multos fratres. Rom. 8. 29. tum *durationis*, & *perpetuitatis*, quia semel-mortuus non amplius moritur. c. 6. 9. 10. quem Deus præstituit placamentum. c. 3. 25. At *Eccl. Rom. pap.* *Eccl.* sanctam & catholicam, cum particulari Romana Ecclesia, confundit: & alterum caput ei vicarium, Papam, monströse affingit: Cui universos mortales, de necessitate salutis, subijcit, Glossa, Extravagant. Commun. l. 1. (2) *asserit illa* solos electos post efficacem vocationem, constituere in terris *univocè & propriè* Christi Ecclesiam, quam credimus in symbolo fidei. Cum quia Ecclesiæ veræ membra vocantur secundum propositum Dei, Rom. 8. 28. 29. tum quia Ecclesiæ veræ membra, sunt membra Christi, *¶ 9.* tum quia non omnes qui sunt Israel, sunt Israel. c. 9. 6. sed tantum qui habent Sp. Sanctum, c. 8. 9. At *Eccl. Rom. pap.* omnes reprobos, infideles, peccatores manifestos, infideles occultos, statuit vera Ecclesiæ membra. *Bell. l. 3. de Eccles. milit. c. 2.* (2) *illa* novit distinguere Ecclesiam *visibilem* ab *invisibile*, non quod duplicem faciat Ecclesiam *specie* differentem; sed quod hæc duo *ad-juncta*, convariant Ecclesiæ diverso respectu: *illud*, quatenus est multitudo electorum *externè* in variis ætibus *nomen* Christi profitentium, Rom. 1. 5. 6. & 2. 10. 11. *Hoc*, quatenus est multitudo electorum *internè* & quoad mysticam unionem, quæ in *vocatione*, *fide spe* & *charitate* consistit, coadunatorum: quæ *ubi sit*, confusè & probabiliter, ex Verbi prædicatione & Sacramentorum legitima administratione ostendi; cæris tamen & infallibilibus no-

C 3

tis -

is demonstrari, non potest: non enim omnes qui sunt Israel sunt ex Israel, Rom. 9. & multi sunt in externa communione proficientium, qui non flexerunt genua Baali. c. 11. 14. At hac ita statuit esse *visibilem*, ut neget dari *invisibilem* Bell. l. 3. c. 12. (4.) Illi notæ Ecclesiæ sunt Verbum Dei & Sacramenta: illud ut potentia Dei ad salutem c. 1. 16. Hac ut sigilla iustitiæ. c. 4. 11. Hinc famose illæ xv. notæ centies ad Orthodoxis explosæ. Bell. l. 4. de notis Eccl. (5) Illa membra & partes putridas, ut sunt mutantes gloriam Dei, colentes res conditas, naturalem usum foeminarum relinquentes, turgentes in iustitiâ, avaritiâ, in vidiâ & cæde, averfabatur. Rom. 1. 23. 32. Hac autem omnia reperiri in Eccl. Rom. pap. testantur historici, Mantuanus Carmelita, Marullus, Janus Pannonius, Platina, Pontanus, Conr. Grebelius & alii. (6) Illa pacis amatrix, fidei datæ servatrix, blasphematorum in Deum vindicatrix, Rom. 12. 17. 20. Hac pacis osor: fidei datæ violatrix: (fides enim hæreticis data non est servanda) hostium Christi fau-trix: Judæos quippe infensissimos Christi hostes & blasphematores, apud quos omnes etiam Christiani, Gentiles, Hæretici, &c. ignominiose audiunt, ubi vis suæ ditionis locorum tanquam bonos Civis, agnoscit, tolerat, defendit, idque propter quæstum, Rom. 2. 24. At erga Protestantes, una cum ipsis S. S. Trinitatem credentes, contra omnes atheos, hæreticos fortiter eandem propugnantes, Christum verum Messiam docentes &c. se charitatis expertem, implacabilem, immilericordem, ostendit, Rom. 1. 27. quæ licet *jus Dei* & veritatem apud hos certò compertam habeat; tamen omni persecutionum genere (loquantur tot centena millia Martyrum, inter Waldenses, Hussitas, reformatos & alibi passim) in eos sevit, & cum similia facientibus, consentit, Rom. 1. 32. cujus religio est in *jure canon.* causa, 23. q. 5. cap. 46. *homicidas non esse, qui excommunicatos* (quales sunt omnes Protestantes solenniter à Papa, singulis annis excommunicati) zelò Catholica Matris, occidunt; qui tamen zelus in Eccl. Rom. ant. non obtinuit, quæ benedicebatur, qui eam insectabantur, Rom. 12. 14. Cui hac in parte successisse debebat: licet Protestantes essent Hæretici (qui Eccl. Rom. pap. nunquam insectantur, nec illi maledicunt, sed pro illis

illius membris convertendis, orant) quod tunc probabitur quando Christus, pro eum persequentibus & flagellantibus, orans, Samaritanus & Dæmoniacus, comprobabitur. Hac de primo membro propositionis minoris sufficiat.

XIV. Hactenus ostensum est in Doctrinâ d. s. *Alexand.* discrepare Eccl. Rom. antiq. & Hodiernam papalem: Jam sequuntur Minora duo Membra nempe Sacramenta & Gubernatio Ecclesiæ. Primo de SACRAMENTIS, quæ tanquam signa & sigilla sensibus exposita, à rebus sensibilibus & terrenis ad intelligibilia, celestia & æterna deducunt, magna est discrepantia inter Eccl. Rom. antiq. & hodiern. pap. de quibus quid sentiat utraque, celi epistola ad Romanos universe non ostendat; fidem tamen Eccl. antiq. Apostolicæ & Reformatorum, ad vivum declarat in Circumcisione V. & Baptismo. N. T. Sacramento, cum (1) Illa nullum suscipit Sacramentum, nisi divinitus institutum, argumento dictorum, Rom. 2. 25. & 4. 10. 11. & 6. 2. 3. 4. At Hæc præter duo Sacramenta N. T. à Christo instituta, nobis ab Apostolis tradita, invenit & usurpat, quinque alia adventitia Sacramenta, nec à Christo instituta, nec Ecclesiæ nomine Sacramentorum tradita, qualia sunt. (1) CONFIRMATIO, quam non Christus, nec Apostoli; sed Conc. Meldense, teste Alexand. Alepsi, & Bezano, cap. 5. de Sacra S. instituit. (2) ORDINATIO, quæ respicit Ministerium Ecclesiasticum, non tamen sub ratione Sacramenti, nisi omnes fideles, Clerici seu Personæ Ecclesiasticæ, nullus Laicus, statuatur. (3) POENITENTIA, quam Virtutem simul & Sacramentum perperam statuunt: cum sit officium Evangelicum, quo serio & secundum Deum lugemus commissæ, & propinimus non committere legenda: quam ut Christus D. instituit, ita non aliam Joh. Baptista inculcavit; & etiam nullum hic Symbolum, ad quod accedendo Verbum heret Sacramentum; & si detur Sacramentum penitentie, proculdubio illud erit Baptismus, in quo dicimur conscripti Christo, Rom. 6. 4. (4) EXTREMA UNCTIO, quæ non tam Christi institutionem, quam praxia vanam Heracleonitarum & Valentinianorum, Veterum Hæreticorum, mortuos oleo in unguentum, referre videtur, autore Lieneo, l. 1. c. 18. Epiph. ha. 36. (5) MATRIMONIUM, quod non à Christo in carne ma-

nificat

nifestato, sed à Deo ante lapsum in integritate institutum: Male etiam Sacramenti nomine venit inter Christianos id, quod obtinet etiam inter infideles; Pejus, à cuius participatione arcentur clerici. *Pejus* Sacrilgium est Prasbytero vel Monacho, quod Sacramentum est plebejo & laico. Miserum sane & ignominiosum *Decretum*, cum Clericis, tum Laicis, Illis quidem, quia eos excludit gratia & justificatione: Matrimonium siquidem illis est Sacrilgium, quod laicis est Sacramentum; His vero, quia horum sacramentorum omnes non possunt esse participes, (nisi velint omnes Clerici audire, quod clerici non permittit credo) cum tamen toti semini Abrahami data sint Sacramenta in signum & sigillum gratia invisibilis, Rom. 4. 16. Hec imaginaria Sacramenta, ex necessitate Salutis (licet non omnia omnibus sint necessaria) sub bruto fulmine instituit & decrevit credenda, observanda, *Conc. Trid. sess. 7. (2)* Illa naturam, vim & efficaciam Sacramentorum in testificatione, declaratione & oblatione & suo modo exhibitione promissionis gratia, per elementa & ritus sacramentales; proposuit: cum dicitur sigillum iustitiae fidei *circumciso* Rom. 4. 11. (at ratio sacramenti S. Coenae eadem est, quae baptismi. Iis omnibus qui incedunt per vestigia fidei Patris nostri Abrahami, cui promissio non per legem cellit; sed per iustitiam fidei. *ŷ. 13.* alias vana facta fuisset fides & inanis v. 13. at Haec Sacramentorum naturam pervertit, cum ea transformat, in receptacula, vehicula ac dispensatoria gratiae in iis occulte latentis, atque ejus efficaciam ab intentione quoque ministerii suspendit. *Conc. Trid. sess. 7. & de Bapt. c. 3.*

XV. (3) Hinc, illa Bapt. Johannis Evang. statuit Sacramentum proprietarium à Deo immediate institutum *re & substantia* idem cum nostro: cum quia ut nostrum est signum gratiae, Rom. 4. 16. ita & illud erat signum, &c. tum quia omnia requisita legitimi Sacramenti hic concurrunt: est enim signum oblationis, habet promissionem & missus à Deo baptizabat Johannes Bapt. Joh. 1. 33. & fuit de coelo Matth. 2. 1. 25. &c. Haec vero anathema fulminat, illud affirmantibus, *Conc. Trid. sess. 7. de Bapt. c. 1. (4)* Illa opus operatum aperte rejicit ac damnat, cum sacramenta nihil pro-

pint

sint in legem exequieris Rom. 2. 25. usum legitimum sacramentorum, qui non est sine fide, utentis, requires, alias absque fide peccatum esset; c. 14. 23. non necessitatem medii & sine quibus non, sed praeepti, urgens, ne symbolis externis tribuat, quod est rei significata. c. 4. 11. Haec Sacramentis affingit virtutem conferendi iustitiam ac sanctitatem ex opere operato, h. e. vi externae & sacramentalis actionis, etiam absque fide utentis, modo obicem non ponat peccati mortalis. *Conc. Trid. sess. 7. c. 6. 7. 9. & necessitatem medii* urget, quibus gratiam & salutem ita alligat, ut illius privatione excludantur regno caelorum: Hinc infantes sine baptismo decedentes excludit regno Dei, & ablegat in Limbum infantum: statuit enim parvulis non esse aliud in eo statu remedium quam baptismum; Licet in eo statu etiam pertineat ad illos promissio gratiae. Rom. 4. 16. & Rom. 11. 19. & sicut infantes per labem originalem Adami pervasit peccatum & maleficium, cur non etiam ad eosdem infantes sine baptismo, Christi pertinebit beneficium? c. 5. 15. Unde pie credit *Eccles. Rom. cum Reform.* infantes natos vel nondum natos si mors praevenerit, Deus etiam eos gratia justificante ac regenerante modo extraordinario & nos latente praevenerit, ut olim Judaeorum infantibus ante octavam diem obeuntibus accidit: etenim si primitiae sanctae, sancta etiam massa, & si radix sancta, sancti quoque rami Rom. 11. 16. non sanctitate quâdam naturali vel inhaerente; sed foederali per Dei misericordiam, eos pro suis reputantis.

XVI. (5) *Eccles. Roman. antiq. & Reform.* cum aliud Sacrificium propitiatorium non detur sine injuria sacrificii Christi, non nisi unum agnoscat Sacrificium Christi propitiatorium in cruce semel oblatum, à Deo Patre acceptum tanquam efficacissimum ac sufficientissimum: oblatio enim Christi est unica numero, quemadmodum mors ejus est unica, ita ut amplius mori non oporteat. Rom. 6. 9. 10. nec in Eucharistia Dominus seipsum obtulit; nec eam instituit in Sacrificium Deo offerendum, quod in cruce peractum. Rom. 5. 8. & 6. 9. 10. sed in mortis & passionis suae sacramentum ac *μυστηριον*, quod Ecclesiae suae commendavit usurpandum, donec veniat. At *Eccles. Rom. pap.* aliud Sacramentum

D

pro-

propitiatorium comminatur quotidie iterandum in *Missa*, in quo Christus per Sacet dotem verè & propriè, modo incruento Deo Patri offeratur; imò sub speciebus panis & vini immoletur pro peccatis vivorum & mortuorum, *Conc. Trid. sess. 6. c. 1. & 2.* Quod etiam adoratione latrigladorant, *sess. 13. cap. 5.* Hinc apparet, miserabilis animarum Romano-Catholicorum servitus & conditio, quibus signum, pro re signata propinatur, nec supra creaturam oculos mentis ad hauriendum æternum lumen elevatur, sed animæ & cogitationes mortalium sensibilibus ac materialibus immerguntur.

XVII. Hactenus de Doctrina & Sacramentis, duobus membris Minoris propositionis, super est tertium Membrum jam probandum puta GÜBERNATIO Ecclesiæ, in qua etiam miram videas duarum Ecclesiarum Romanarum discrepantiam, sive species Gubernationem Ecclesiasticam sive Civilem. Quod atinet Gubernationem seu Politiam Ecclesiasticam, de ea sic sentit *Ecl. Rom. antiq. cum Ref. (1) Eam* à Christi ordinatione in lolidum & auctoritative dependere tanquam capite, ac plenè & perspicuè definitam esse; cum quia Apostolus profitetur se servum J. Christi, separatim ad prædicandum Evangelium Dei. *Rom. 1. 1.* tum quia & qui ministrat in ministrando, & qui docet in docendo &c. Domino debent servire, *c. 12. 6-12.* At *Ecl. Rom. pap.* præsumit sibi, se posse suo jure usurpatio, novos eosquè diversos ordines Ecclesiasticos condere, qui in partes ministerii veniant & de facto, veluti totidem ventres inanes, bonis orphanorum, viduarum omnimodè inhiantes, condit & constituit, *Bell. de Pont. Rom. 1. 4. c. 24. 25.* (2) *Eam* solis, Pastoribus, doctoribus, senioribus & Diaconis, tanquam ministris ordinatis à Christo constitutis in N. T. donatum esse, iisque ex officio incumbere, pro donorum diversitate & proportionem fidei prophetiam prophetandi ministerium ministrandi doctrinam docendi &c. sicquè præesse omnium diligentia gubernationi Ecclesiæ *Rom. 12. 6-9.* qui immediate sub sunt uni Christo, tanquam membra ipsius corporis mystici. *v. 4. 5.* At *Ecl. Rom. pap.* pertendit Papam esse universalem totius Ecclesiæ Romano-Catholicæ Monarcham, cui immediate subjiciuntur omnes ordines Ecclesiastici, Cardinales, Patriarchæ,

Archiepiscopi,

Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri, Sacerdotes &c. & alii innumeri & varii coloris humanæ ordinationis, ordines, *Bell. 1. 1. de Pont. c. 9. & de Clericis.*

XVIII. (3) *Eam* potestate Spirituali ac ministeriali, non corporali & Magisteriali, Regibus gentium propria, pollere: cujus nempe *Majestas* non est propriè dicta *αὐτοκρατορία* & *νομοθεσία*, sed mera *διὰ βίαν*: hinc Ecclesia etsi possit terre leges vel potius canones Ecclesiasticos, religionem & conscientiam directive spectantes; non potest tamen Leges Politicas & Conscientiam obligantes, cui sub esse cogantur invitiissimi, condere. *Rom. 12. & 13.* At *Ecl. Rom. pap.* præsumit Papam Romanum habere potestatem & jus *αὐτοκρατορίας* ferendi leges conscientiam obligantes & illis non obtemperantes impunè excommunicandi, ut pote duplici potestate, spirituali & corporali, gaudens, & Petri clave & Pauli ense, potens, *Bell. 1. 4. de Pont. c. 15.* Hinc nata & extracta tyrannis illa Papalis quævis decreta & quovis canones, cum verbo Dei pugnantes pro libidine & pro imperio, sic volo sic jubeo, Ecclesiæ obtrudendi, id approbantibus prodigiosis Canonistarum vocibus: *Quod Papa potestas sit absoluta & eam habet ut vult;*

Quod habeat voluntatem pro ratione, in his quæ vult;

Quod nemo debeat ei dicere, Cur ita facis?

Quod sit supra jus: & extra jus omnia possit.

Quod contra Epistolæ Pauli Apost. possit statuere &c.;

Imò potest tollere jus divinum, mutare Evangelium, eique pro loco & tempore alium sensum tribuere, hinc si quis non crederet Christum esse verum Deum & hominem, & idem sentiret Papa, is non damnatur. *Card. S. Angeli* ad legatos Bohemicos sub felici Papa, 1447.

XIX. Quantum ad Civilem Gubernationem & Politiam, *Ecl. Rom. anti. cum Ref.* est (1) Magistratum ita esse originis & institutionis divinæ ut potestatem jus, & Majestatem à Deo obtineat, cum, quia est potestas à Deo ordinata *Rom. 13. 1. 2.* &c. tum, quia obfistens potestati, Dei ordinationi, non Papa, obfistit, *v. 2.* tum, quia Dei minister est, non Papa, *v. 3.* At *Ecl. Rom. pap.* propignat Magistratibus Christianos, jus & Majestatem habere à Papa, qui Reges & Principes ad arbitrium suum, constituere valeat, ut pote quem

D 2

potest.

potestatem habere asserunt in caelis & terra, *Bell. l. 4. de Pont. c. 6.* Hinc, *Petro Regi Hungariae & Rodolpho Sueviae duci, Diadema his inscriptionibus misit, Illi quidem; Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam; Huic, Petra dedit Petro, Petrus Diadema Rudolpho, quod uni-* cē hoc spectat, ut Regum & Principum hereditatem ad se transferat: hinc *Anglia regnum, quidam faciunt feudum S. Petri, quo respectu Innocentius IV. Regem Angliae vocat suum Vassallum; imō mancipium. Matt. Paris. 3. ad ann. 1253; Hinc etiam Benedictus IX. sancit legem, ne quis Romani Imperii Sceptum, gestare appetat, nisi quem Papa delegerit. Quamquam, nontantum* solemne sit Christianis Principibus de DEI GRATIA Principes & Reges sui Principatus vocare; sed maxime quia in sacris diu vocantur, & Dei ministri bono publico. v. 4. & non Vassalli & feudarii, teste etiam Tertull. in Apolog. Imperat. Rom. c. 30. sciunt enim quis illis dederit Imperium; eam Deum esse solum in cuius potestate sunt, &c.

XX. (2) Omnes in Républ. viventes cuiuscunque sint ordinis & dignitatis, quā Ecclesiasticos, quā Politicos, Magistratuum imperio & potestati obnoxios esse, si quidem omnis anima, etiam Clericorum, potestatibus supereminentibus subiecta sit. cap. 13. I. non tantum directivē, sed etiam coercivē, v. 4. At Eccl. Roman. pap. Ecclesiasticas personas, imperio & obsequio Magistratūs Civilis Patriae Patris, exemptas docet. *Bell. l. 1. de Clericis. c. 28.* Hinc neminem in terris agnoscit Monarcham, praeter Papam, contendente Baron. ad an. 1097. imō Romano Pontifici omnes Christianos Reges subiectos asserit, sicut ipsi Domino Jesu Christo, & sicut filius Patri & membra capiti; non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, quoniam sc. vicarius est Dei, Capit. de Papa & Eccl. auth. & Aug. Triumph. q. 36. art. 4. (3) Magistratibus etiam impiis, eorumque legibus & constitutionibus in rebus tristibus modo non illicitis, civiliter parandum esse, quia sunt ministri Dei gladium gerentes, v. 4. quibus non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam subijci necesse sit, v. 5. At Eccl. Rom. pap. arrogat potestatem, in omnes Magistratūs & Principes orbis; quos non obtemperantes, maxime Christianos, deponere, excommunicare, abdicare, eorumque subdi-

subditos à juramento fidelitatis absolvere; & potestatem eorum in alios transferendo ipsos excommunicare & sicariis trucidandos exponere possit, *Bell. l. 5. de Pont. c. 6. & seqq. Becan. in Contr. Anglicana.*

XXI. Et sic, ut aurum adulterinum, ad tactum lydi lapidis probatur; ita ad normam Epistole ad Romanos, examinando Eccl. Romanę Papisticę Veritatem & sanitatem, juxta promissum ostendimus, quantum distent ara lupinis, quamque *dis dia* *πρω* discipet ab Ecclesię Romanę ant. & Ref.; Veritate & sanitatem, in Doctrinā, Sacramentis, & Gubernatione. Unde luce meridianā clarius elucet illam non esse, Unam, Veram, Sanctam, Catholicam, ab Apostolo laudatam Rom. Ecclesiam; sed novam, Papalem, nuperam, post introductam Schismaticam &c. Ecclesiam vero Reform. esse veram illam ab Apostolo laudatam Ecclesiam, nec esse Schismaticam, Hereticam, nisi Apostolus cum Romana Eccl. fuerit Schismaticus & Hereticus; & per consequens esse talem Ecclesiam, in cuius gremio salus aeterna possit obtineri. His omnibus ritē comprobatis apparet Romana papalis Ecclesię, extremam esse impudentiam, quę Eccl. Rom. Reformatę Schismaticorum & Hæreticorum infamiam objicit, regnoque cœlorum excludit: cum hanc notam in famię ipsi competere apprimē demonstratum est. Quare omnes Protestantes, qui à tenebris, in lucem Evangelii transierunt, verę fidei & religionis consolationes salutares degustarunt; non est quod sub dispendio salutis, ad exoletas Romę novę superstitiones, & tyrannidis Pontificię ergastulum; revertantur; nam habent Veram Apostolicam Ecclesiam, in ea Verba vite aeternę, quę derelinquere, & ad elementa, inania, vana, & superstitiosa, cum filiis hujus seculi transire, est jugum Christi excutere, Christum in elementis hujus mundi querere &c. Simus licet, nos Protestantes *Σοφιστὰς*, cum iis qui Jesum confitebantur, & simus ex oī mundo, simus Samaritani, demoniaci, cum Christo; gaudeamus nihilominus in conspectu Concilii Romani, qui dignati sumus pro Nomine Jesu, contumeliis talibus imponē affici; quarum contumeliarum finis, est corona immarcescibilis, in regno cœlorum capiti nostro imponenda: Beati enim quos persequuntur homines iustitię causā: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Corollaria Respondentis.

1. Reformatorum Ecclesia sive Collectiva & in communi, sive Distributiva & in particulari considerata, nullo modo est, vel dici potest Hæretica: quod est in processu thesium superiorum satis superque ostensum sit; nihilominus ex superabundanti demonstrandum est. Non est Hæretica, primo ex sententia Augustini de utilit. cred. ad Honor. cap. 1. Cui Hæreticus est, qui alicujus temporalis commodi, & maxime gloriæ principatûque gratiâ, falsas ac novas opiniones vel gignit vel sequitur: non enim fidem & religionem, mundana ac vana alicujus gloria, commodi vel principatus gratiâ; sed solum salutis adipiscenda causa & solo conscientie dictamine, scilicet & proficitur: certum est enim & toti mundo manifestum, Reformatorem Ecclesie, Deum amplexuisse in hac via tanquam ad proprium, non splendorem & felicitatem externam, quæ est Ecclesiæ Rom. Pap. arrogantia Ela. 47. 7. & Apo. 18. 7. sed cum Apostolis, opprobrium, crucem, pauperatatem, quæ ut pie vivere & Christo capiti suo conformari possit persecutionem patitur & quotidie ex sententia Apostoli pro nomine Christi occiditur. Nec novas opiniones vel gignit vel temerario sequitur, ut in thesibus disputationis nostræ ostendimus, nisi Ecclesiæ Rom. ant. Fides & Religio opinio dicenda sit. Secundo, non ex sententia Thomæ, q. 11. n. 1. 2. quippe res se ipso, Hæresis est eorum qui fidem Christi profitentur, sed ejus dogmata corrumpunt: an tales sint vera & univoca Eccl. Reformatarum membra, judicet conscientia sana, judicet Christus cum Apostolo, saltem ex Epistola ad Romanos, ceteris Epistolis in gratiam papistarum misis. Tercio, non ex sententia Becani, Theol. Schol. part. 2. tom. post. tract. 1. cap. 14. q. 1. §. 2. Hæresis enim ipsi est voluntarius error intellectus, contra aliquam veritatem, cum pertinacia assertus, ab eo qui fidem recipit: cum quia licet Eccl. Pap. in foro minus competenti & Judex in propria causa sedens, crimina Eccl. Reformatis intemer, nunquam tamen eas erroris voluntarii, quo recessissent à Deo & naufragium fidei fecissent, convincere poterit: tum quia pertinacia & affirmatio voluntaria in errore, nondum est ostensa, quamvis à reformationis periodo, quotidie Eccl. Refor. hæreses, opinionis & erroris fundamentalis demonstrationem, cum protestatione petierit. Quarto, nec sententia Petri Apostoli, qui secunda catholica secundum Hæreticos ad vivum delineatos percussit, quod scilicet sint: Pseudo-Prophete, Magistri mendaces, sectas perducere.

perditionis introducentes: Dominum qui eos (tanquam deorum per vocationem externam & mundi ignorantia & profana scelerum licentia ad cognitionem Christi theoreticam & externam disciplinam adducendo) mercede est negando, luxurias sequentes, veritatis blasphematores, in avaritiâ de fidelium corpore & animâ negotiantes: Hypocritæ, adulatores, similes carnalibus & immorigeris diluvio meritis & sodo-mitis, post carnem in concupiscentiâ ambulantes: Dominationum contemptores, sibi placentes & blasphematores, voluptuarii & deliciis affluentes, in conviviis luxuriantes, oculos adulterii plenos habentes: animas instabiles pellicientes, eorum avaritiâ exercitatum habentes, filii maledictionis, viam rectam derelinentes, viam Baali sequentes, fontes aquæ carentes, nebule turbidibus agitatae &c. quæ hæresion attributa Ecclesiis Reformatis cum evidenti demonstratione primum Eccl. Rom. Pap. deberet ascribere, si posset, nec tam temerè de illis crimen hæresis, cum ex communicationis anathemate, pronuciare: sed quia ipsi hac in parte heret aqua, manul sine mente dare sonum. Consultum igitur esset ipsi primum ex oculis trabem ejicere propriis, tandem in oculis Reformatorum vellicare spicam.

2. Axioma illud Theologicum: Extra Ecclesiam non datur salus, malè ad Ecclesiam particularem & communionem externam, restringitur: cum quia Ecclesia N. T. non est alligata, certo loco, ordini & successioni: tumque salus non restringitur cæris locorum, temporum & personarum differentiis: tumque Viri Sancti quandoque potuerunt abesse à conventibus particularibus, ut David, Elias, &c. Hinc, non melioris generis sunt Papistæ, quam olim Donatistæ, qui unus Affricæ angulo coarctantes Ecclesiam, extra quam salus non esset, totam, extra cætos suos, Ecclesiam perisse de mundo, clamabant: ita Papistæ hodie Orbem Urbi includunt, Ecclesiam, Sanctam, Catholicam unice Eccl. - Romano Catholica, attingunt, omnes cætos extra illam, maxime Reformatorum æterna damnationi ascribunt, cum tamen Petrus Apostolus esset Deum non respicere ad personam, sed in quavis gente acceptum esse quemvis timentem ipsum & operantem autem iustitiam. Excedit etiam hac in parte, Eccl. Rom. ant. limites, quæ temerarium iudicium maxime damnationis æternæ avversatur: Tu quis es inquit, qui iudicas alienum servum? proprio domino stat aut cadit: imo fulcitur ut stet, potens enim est Deus efficere, ut stet, Rom. 14. 4.

CARMEN GRATULATORIUM,

Cum VOTO Honoris,

Ornatissimo ac Doctissimo JUVENI,

D. MICHAELI Szatmár - NEMETHI,
UNGARO,

Amico & FRATRI sincero,

Lugduno-Batavorum transmissum.

PAUCIS compello TE, quem mihi *foedere junctum*
A puero FRATREM, vindicat arctus *Amor.*
TU MICHAËLIS habens sacro *Baptismate* Nomen:
NEMETHI à Patriâ, SYMPATRIOTA simul.
Nomen præclarum! Sed *Virtus TE Tua* laudat,
Commendat *studium, Religionis amor.*
Fortis es, & Jovæ fortis, qui mactè repellis
Bella, indixit quæ Roma recens veteri.
Fac *Pietasque Fides veteris (Paulo ista docente)*¹
Stet; *Nova succumbat vertice rafa Cohors.*
Sanctus enim pro TE stat in hoc certamine *Paulus,*
Quo duce, *Roma hac, non aurea Roma vetus.*
Sic pergas *fortis patrios relevare labores,*
TE sciat *Hæredem Patria terra, Fides.*
Hoc *Virtutis opus Viætoris honoribus Illa,*
Coelesti Hac Patriâ, post Tua fata beet!

*Ita Virtuti & Honori Fratris
dilecti applaudebat,*

STEPHANUS ESZE'KI,

Szatmáriá-Ungarus.